



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE IN CARITATE PERPETUA VENERABILI SERVO DEI IOSEPHO SEBASTIANO PELCZAR**

**BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. – «In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te in misericordia» (*Ier* 31, 3). Tota vita Venerabilis Servi Dei Iosephi Sebastiani Pelczar, acta in lumine fidei vivae et industriae, alacris responsio fuit Dei unius et Trini infinito amori, in mysterio Sacri Cordis Iesu revelato. Erga suam vocationem fidelis, muneribus sacerdotalibus et episcopalibus magno cum fervore est functus, abnegatione sui ipsius et caritate, studiosus praecepta sequendi et exempla divini Pastoris atque operam navandi auctui regni Dei in animis suis pastoralibus curis concreditis. Venerabilis Servus Dei, ab Adalberto Pelczar et Maria Mięśowicz tertio loco natus, die XVII mensis Ianuarii anno MDCCCXXXII ortus in loco sermone patrio Korczyna appellato, in Polonia australi, biduo post baptizatus, crevit in familia valde religiosa. Qui a sex annorum aetate altari inserviebat, verno anni MDCCCL ad sacram mensam primum accessit et anno MDCCCLIV Confirmationem accepit. Gymnasii studiis peractis in urbibus Rzeszów et Premisla theologicis vero in seminario dioecetano, presbyter est ordinatus die XVII mensis Iulii anno MDCCCLXIV Premislae et ad urbem Sambor missus ut brevem explicaret actionem pastorem. Annos MDCCCLXV-MDCCCLXVIII Romae degit, ubi Sacrae Theologiae et Iuris Canonici est laureas adeptus. Eo tempore sponte lectionibus asceticis se dedit et feriatu Gentiani lineamenta conscripsit maximi operis sui ascetici, cui nomen «*Życie duchowne: De vita spiritali*». Hoc opus optime cessit et est ample pervulgatum multumque valuit in formationem spiritali sacerdotum, personarum Deo consecratarum et laicorum. In Poloniam reversus, varias egit navitates, ex quibus confessarii et magistri spiritus ac professoris primum in seminario dioecesis suae, deinde in Studiorum Universitate Jagiellonica Cracoviensi, cuius et Rector Magnificus fuit. Inter sacerdotes eminent magno amore in Deum, in Eucharistiam et in Virginem Mariam atque ardenti apostolatu. Volens necessitatibus sui temporis succurrere anno MDCCCXCIV Cracoviae condidit Congregationem Ancillarum a Sacro Corde Iesu, eo consilio, ut cultum propagaret Sacri Cordis et ancillis operariisque, pueris et aegris adesset in suis ipsorum domibus. Cum anno MDCCCIC factus est Episcopus Auxiliaris Premisliensis et die XVII mensis Decembris anno MCM Episcopus dioecetanus eiusdem Ecclesiae, viribus non parcens se ministerio dedit populo suo sanctificando. Peculiarem adhibuit curam de formatione sacerdotum spiritali et ad institutionem pertinente, persuasum sibi habens solum sanctos sacerdotes apostolatu vere fructuosum explicare posse. Ut vitam christianam proveheret tres quoque dioecetanas Synodos celebravit annis MCMII, MCMVIII, MCMXIV et quartam iam indixerat, cum mors eum impedivit quominus earn ad effectum adduceret. Est in Domino sopitus die XXVIII mensis Martii anno MCMXXIV, eminentibus exornatus virtutibus, sui gregis exemplar. Durante fama sanctitatis, Episcopus Premisliensis anno MCMLIV causae canonizationis initium fecit. Praescriptis canonicis Processibus perfectis necnon consuetis theologicis inquisitionibus, coram Nobis, die XVIII mensis Februarii anno MCMLXXXIX, decretum promulgatum est, quo professi sumus Episcopum Iosephum Sebastianum Pelczar heroum more virtutes theologales, cardinales et annexas exercuisse. Interim, anno MCMLXXXIV, apud Curiam Cracoviensem actus erat Processus canonicus de

coniecta mira sanatione, deprecationi tributa Venerabilis Servi Dei et effecta anno MCMXXXVII pro puella quadam Polonica. Eventu cum secundo inspecto casu a medicis et dein a theologis apud Congregationem de Causis Sanctorum, coram Nobis proditum est decretum super miro. Statuimus porro ut beatificationis ritus celebraretur in civitate Rzeszów die II mensis Iunii anno MCMXCI inter Nostrum in Polonia iter pastorale. Hodie igitur, inter sacra sollemnia hanc sumus formulam locuti: «Spełniajv życzenie naszego brata Ignacego Tokarczuka, Biskupa Przemyskiego obrząku łacińskiego, jak również wielu innych braci w biskupstwie, oraz licznych wiernych, za radą Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, naszą Władzą Apostolską zezwalamy, aby odtąd Czcigodnemu Słudze Bożemu Józefowi Sebastianowi Pelczarowi, Biskupowi, oraz Założycielowi Zgromadzenia Sióstr Służebnic Najświętszego Serca Jezusowego, przysługiwał tytuł Błogosławionego, i aby jego święto obchodzono corocznie 28 marca, w dniu jego narodzin dla nieba, w miejscach i w sposób określony przez Prawo. W imię Ojca i Syna i Ducha Świętego». Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obstantibus. *Datum Rzeszow, sub anulo Piscatoris, die II mensis Iunii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri decimo tertio.* ANGELUS SODANO, *archiep.*

*Prosecretarius Status* © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana